

Q. B. V. D.

De

PRUDENTIA

In Electorali ad Albim

Præside

VIRO CLARISSIMO,

M. ADAMO EZLERO

Silesio,


disputabit ad diem 14. Octobr. M D C LI.

horis matutinis

JOHANNES VVEDEMEIER

Riga-Livonus

Autor - Respondens.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

50.

diss. A

45

a. XXXI. 45.

FRIDERICUS

M. M. M. M. M.

JOHANNES



DESSAU

Typis Johannis Thomae in Lipsia



Jova Juva!

Proœmium.



Susus frequentia rerum pretia aestimare
velimus, Virtus, cui in hac mundi sene-
cta supellex admodum curta, causa ca-
det, & dignitate vitiiis cedit. Eo enim
nunc processit vitiorum autoritas, ut
nullus fermè amplius Virtuti locus reli-
ctus videatur. Testis mihi ipsa experien-
tia est communis rerum magistra. Quot enim & quanta
indies vel in viti vitiorum cernimus monumenta? Quot
flagitiorum documenta? quæ in ipsam rationis arcem irre-
punt veriùs quàm irrumpunt, virtutiq; hac ratione nubes
inducunt, ne jubare suo nos irradiare queat. Quid? quod
maximam nunc laudem in vitiiis ponant multi, proq; vir-
tute venditare non erubescant, quicquid ab eadem longissi-
mè recedit. Quod cum ita sit, & contagiosa vitiorum in-
temperies societati humana plurimum officiat, rei q; cum
publica tum privata remoram faciat, de remedio huic malo
inveniendò cogitandum erit. Ecquod autem istud? Pruden-
tia sanè dux & lux omnium Virtutum, quæ animi vitia vel
in ipsa herba suffocare, vel ubi radices egerunt, scit evelle-
re. Hæc animi affectibus lupatū injicit, eorumq; petulanti-
am refrenat, ut nec superbè latentur, cum prosperè cedit,
quicquid optant; nec mereant extremè, cum fugam mina-
tur volubilis fortuna. Hæc sola, ut Plato ait, præit & ducit

A

ad re-

ad recte faciendum, quam ob hoc ipsum aurigam humanæ
vitæ appellare non dubitavit, qua destituti à regia via aber-
remus in diverticula & ambages inextricabiles. Hanc igitur
verè regiam virtutem publicæ ventilationi subicere con-
stituimus, necessitate istius moti pariter atq; profluente in-
de insigni utilitate. Faxit omnis prudentiæ autor, ut ad ipsi-
us gloriam quicquid suscipimus succedat.

I.

Prudentiam, ut de origine vocabuli præmittamus pau-
ca, dici volunt quasi providentiam; quia hujus virtutis be-
neficio quisq; providet, quid facto vitatuq; opus sit. Præci-
puum enim ejus officium providere futura, secundum il-
lud Comici,

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est

Videre, sed etiam illa quæ futura sunt, prospicere.

II. Circa vocis usum notetur, quod prudentia non
semper propriè sumatur. Tribuitur enim serpentibus, non
quod re ipsa tales sint, sed quod prudentiæ simulacra quæ-
dam nobis ob oculos ponant. Sic formicis quoq; ascribi-
tur prudentia, quam eleganter describit Pier. Val. l. 8. *For-
micæ, inquit, hiemis memores, cibaria comparant, & recondunt,
cellasq; promptuarias faciunt, semina interim ne nascantur, mor-
su secant, abrosaq; condunt, ne rursus in fruges exeant è terra,
atq; inutilia inde sibi ad usum & esum fiant.* Simile prudentiæ
simulacrum reperire licet, in canibus, gruibus, in elephan-
te, leone, apiculis & aliis quamplurimis, de quibus vide-
fis Plutarchi libr. de solert. anim. Nos in eâ, quæ hujus lo-
ci est, acceptione prudentiam soli tribuimus homini: &
quidem habitualiter consideratam. Sed cum & hoc modo
abusivè & in sensu sequiori usurpetur pro calliditate & ver-
suta, improbis quibusq; communi: igitur & hanc remotâ
à nostro scopo volumus acceptionem, & eam intelligimus
virtutem, quæ per licita media rectam ad honestatem osten-
dit viam.

III. Qui

III. Quibus breviter præmissis, ad describendam prudentiæ indolem progredimur. Sed hic varias reperire licet hominum sententias. Stoici prudentiam definiunt per *scientiam bonorum malorum & mediorum*. Plotin. Enn. prim. l. 6. c. 6. putavit prudentiam esse *intelligentiam declinantem inferiora, animumq; ad superiora erigentem*. Ciceroni l. 1. off. prudentia est *rerum expetendarum & fugiendarum scientia*; sed has omnes & similes prudentiæ descriptiones potius quam definitiones veras & accuratas agnoscimus: cum in omni vera & accurata definitione genus proximum & adæquatum poni semper debeat. Quid? quod scientia & intelligentia non possint esse genus prudentiæ, cum sint habitus ab eadem distincti. Et cum proximum habere genus, sine incommodo possimus, quid remotum de industria sectabimur? Aristoteles prudentiæ definitionem ex definitione Concreti, h. e., viri prudentis colligit, quem ab officio sibi proprio 6. Eth. sic describit: *Prudens est, inquit, qui bene potest consultare de illis, quæ sibi ipsi bona sunt & uti'ia, non quidem quoad partem quandam vitæ, ut quenam ad sanitatem & robur, sed quæ ad universam bene recteq; vivendi rationem pertinent*. Ex hac viri prudentis definitione ipsius prudentiæ definitionem hoc modo informat: *Prudentia est habitus cū recta ratione activus, circa ea quæ homini bona sunt & mala*.

IV. Resolvi hæc potest in Conceptum 1. *latiorem sive genericum*, qui est *Habitus 1. acquisitus*, quandoquidem acquiri potest per actus proprios ipsius possidentis. Prudentiæ enim causa efficiens est diuturna exercitatio, & longa rerū experientia; de qua infra. 2. *Intellectualis*, quia in intellectu residet, & mediante intellectu appetitum dicitur perficere, dirigendo ipsum, & præscribendo ducis instar quid agendū sit secundum omnes circumstantias in omni Virtute Morali. II. *Strictiorem s. specificum magis*, qui desumitur à principio directivo actionum moralium, quod hoc loco est *recta ratio*, quippe quæ bonum à malo, honestum à turpi agendū à fugiendo discernit, adeoq; præscribit quid fieri oporteat & quibus circumstantiis. Unde prudentia dicitur habitus

ctivus cum recta ratione, h. e. qui secundum veram & rectam rationem vitam instituere docet. Hinc quicquid nec rectæ rationi congruit, nec ad honestatem tendit, nomen prudentiæ mentitur meraq; est calliditas, ut ut utilitatis aliquam speciem in vita habere videatur. Ex dictis facile constat differentia inter prudentiam & reliquas Virtutes Intellectuales.

V. Porro differentia desumitur ab *objecto*. *Objectum* prudentiæ sunt τὰ πρακτὰ, hoc est, *agibilia*, quæ homini ad bene agendum & vivendum sunt necessaria; in quibus locum habet consultatio, adeoq; bona & mala, honesta & inhonesta, facienda & omittenda, fugienda & sequenda; quæ non tantum sub universali, sed & sub singulari prudentiæ consideratione venire debent, secundum autoritatem Arist. 6. Eth 7. *Neg; universalium tantum* (sunt verba ipsius) *prudentia est; sed opus est, ut singula etiam cognoscat. Ut enim ad valetudinem conservandam non sufficit scire carnes leves esse salubres; sed scire oportet, has vel illas carnes esse leves, ita & in prudentia se res habet; activa est, actio autem in singularibus consistit.* Ex dictis ergo iterum patet manifestum discrimen inter prudentiam & reliquas virtutes intellectuales. Cum enim harum objecta sint res necessaria, h. e. ex sua natura non operabiles, sive quæ ex natura sua & per se actionem humanam respiciunt, quales sunt res æternæ, de quibus nemo nisi remotæ mentis homo deliberationem instituit, distincta utiq; Prudentia ab illis virtus erit. Notanter autem addidimus ex natura sua: quando enim quis in Medicina, Ethica vel Jurisprudencia nudam objectorum illorum speculationem intendit, contemplatio illa non est propriè & per se; quia hujusmodi objecta essentialiter & ex sua natura redigi possunt ad operationem; sed per accidens saltè, & secundum quid, videlicet propter accidentalē intentionē discantis, seu ejus, qui contemplationem nudè spectat.

VI. Accedit *fnis prudentiæ*, qui est τὸ πρακτικόν, id est, *actio*. Est autem πρακτικόν functio quædam mentalis non in intellectu terminata, sed regulata & directa ad operationem & actionem. V. g. Virtus in Ethicis si cognoscatur, non sufficit hæc
virtu-

virtutis notitia, sed traditur appetitivæ facultati ab intellectu regulatæ per certa media ad exequendum, ut scilicet honestas in actiones humanas introducatur. In hac directione ad actionem distinguitur iterum. 1. à contemplatione, cujus finis est nuda veritas & notitia in se terminata, quippe quæ ab illa primario & per se intenditur, ut in ea intellectus tanquam in fine ultimo acquiescat. 2. In directione hac ad honestatem differt ab effectione, quæ opus aliquod externum & in sensus incurrans per instrumenta corporea producit & post se relinquit, ut patet exemplo artis sutoriæ: Unde effectio in formali sua ratione dicitur operari per instrumenta corporea, per quod etiam ab actione distinguitur; quia per talem operationem neque Virtuosi, neque boni vel mali denominamur.

VII. Accedimus ad *causarum externarum* explicationem. Atque de universali illâ & primâ certum esse non dubitamus, eam esse fontem omnis boni. Deum Opt. Max. sine cujus afflatu gentium quoque effatis nulla mens magna unquam existit.

VIII. *Causa particularis & secunda est naturalis inclinatio*, quâ homo propendit ad mediorem tum inventionem, tum dijudicationem & discretionem. Naturam adjuvat *doctrina & institutio*. Etsi enim natura quosdam ad eam impetus habeat, tamen perfectio accedere à doctrina debet, sine qua incrementa sumere haut feliciter quisquam potest. Quinimo sapissime præclara ingenia, ad majora & meliora apta, jacere cernimus, si doctrinâ & institutione destituantur.

IX. Præcipue autem *assidua & judiciosa historiarum lectio* magnum habet ad parandam prudentiam momentum, quâ qui negligit & averfatur, in veræ prudentiæ possessione pedem suum haut facile ponet. Qui militarium artium affectum peritiam cupit, armorum tractandorum desiderio flagrat: qui aut venandi aut equitandi studio tenentur, canes equosque in pretio habent; prudentiæ vero alumnus optimorum historicorum monumenta contemneret? eorum scripta, in quibus exempla prudentiæ exercitiæ fatis multa & egregia proponuntur, nec unius ævi, aut Urbis, sed omnium temporum, omnium gentium quasi in diffuso theatro, res gestæ

ſpectantur; repudiaret? quibus ceu inſignibus documētis ad omnes uſus informatur animus, & quarū memoria nobis ad conſultandum magno uſui eſſe poteſt. Reſtiſſimum prudentiæ comparandæ ſubſidium hiftoriarū lectio. Teſtis enim eſt temporū, magiſtra vitæ, omnē prudentiæ penū ex promptuaria ac penuaria quaſi cella, copioſiſſimè deponens. *Hiſtoria* inquit Diodorus ſiculus l. i. *Bibl. hiſt. adoleſcentibus ſenū prudentiam adjungit, ſenibus experiētiā iam acquiſitam multiplicat.* Errant igitur illi & maximè errant, qui Juvenes hiftoriarum lectioe prohibent, timidos & tumidos evadere eos ex eā exiſtimantes. Tantum enim abeſt, ut illa indolem egregiam his vitiis inquinēt, ut potius præclarisſimis virtutū exēplis ad optima quæq; diſponat, & ad res præclarè & prudenter gerendas accendat. Quod Poeta confirmat, quando ita canit:

*Hæc tibi Virtutum ſtimulos, hæc ſemina laudis
Hæc Exempla dabit.*

X. Sed nec omittendus hic peregrinationis uſus eſt, cum ad conciliandam prudentiam, certè ad informandam peregrinatio in partes exteras ſuſcepta, multum efficiat. Per hanc exempla obſervantur, & multa & varia ad noſtrum uſū cōductura, quibus privari prudentiæ alumnus ex neglectu ejus necesse habet. Domi enim tametiſi quam maximè ſedulus obſervet, quæ uſq; agitantur, tamen quia illa vel ſunt vulgaria & quotidiana, quæ cito vileſcūt, vel numero pauca & ad formandum habitum minus ſufficientia, prudens in vita & actionibus ut audiat vix ac ne vix quidem merebitur. Unde Homerus non aliam Ulyſſæ prudentiæ cauſā aſſignat, quā quod πολλῶν αὖθροῦπων ἴδεν ἄσπεα, καὶ νόον ἔγνω. Intellexerunt hoc ipſum quoq; Lacedæmonii, qui Apollinem quaternis oculis totidemq; auribus ſinxere, illud nimirum innuentes; Eum demum prudentem haberi debere, qui plurimas res tum viderit, tum audiverit. Varia ſanè gentium, Urbium, locorum luſtratio; varia Civitatum inſtituta, leges, jura ritasq; mirum quantum ad prudentiam ponderis adferant & momenti? quam egregiè judiciū formant, ſi non libata leviter, ſed obſervata ſeriò & retenta fue-

fuerint. Datur præterea peregrinanti copia multorum in-
uendi mores, quorū ille si industrius est, optimos sibi aptat
indeq; verecundiam ac Civilitatem addiscit. Contingit il-
li quoq; per sæpè conversari cum Viris prudentibus, horum
ille sibi similem prudentiam induit. Non enim leve admi-
niculum ad prudentiam acquirendam censetur conversa-
tio cum Viris prudentibus, eorundemq; exemplorum stu-
diosæ observatio. Contra qui perpetuo intra lares paternos
degunt, nec extra paterni agelli ambitum Solem unquam
visunt, tota illi ætate vivunt inertes, inurbani, prudentiæ
humanitatis ac Civilitatis expertes. Nec est quod obvertat
eritum illud: Cœlum non animum mutare qui trans mare
currunt. Cum id ipsum nequaquam causæ peregrinationi
imputandum, sed pravæ peregrinantis negligentia, qui pro-
pterea nihil profecit, quia fortassis secum peregrinatus est.

XI. Sed nec doctrina, neq; historiarum lectio, neq; pere-
grinatio ad perfectū prudentiæ habitū acquirēdū sufficit,
jungēdus quoq; est usus, egregio ille magister, & experien-
tia, quā velut fortunato Gygis annulo solidā omniū rerū
cognitionē à Deo extorquemus. Unde Poeta lib. 2. Am. canit.

Solus & artifices qui facit usus, erat.

Et graviter hac de re Cic. 1. de orat. *Nec Medici, nec Impe-
ratores nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quicquā
magnā laudē dignum, sine usu & exercitatione consequi possunt.*
Hæc tam necessaria est, ut Phil. 6. Eth. 9. statuatur juvenes non
posse evadere prudentes, quia propter ætatem destituuntur
usu & experientia rerum agenda. Habitus enim est
prudentia, & sicut cæteri habitus crebris acquiruntur acti-
onibus; ita prudentia agendo perficitur. Testantur historiæ
homines imperitos, nullo rerum usu edoctos, nullaq; tra-
ctandæ reip. exercitatione assuefactos, infelici admodum e-
ventu rempubl. administrasse, boniq; publici navem impa-
ctam scopulis in profundum sæpe egisse. Experta hoc est in
Roboamo Salomonis filio Israelitarum resp. juvenili regis
inexercitati consilio dissipata. Experta est in Mydà Rege
Phrygia; in Antiocho Epimane Asia: in Arideo Philippi fi-
lio Macedonia, in Galba aliisq; Roma, quæ Regum suorum
impru-

imprudētiā, regendiq; populi imperitia graviter concussa & in ruinam protracta sunt. Tantum experientia hic valet, ut Virorum Seniorum ac peritorum dictis & consiliis non minus credendum esse asserat Arist. quam ipsis demonstratio- nibus, etiamsi nullas adferant rationes. *Quoniam inquit, ipsi longo usu & experientia sibi compararunt oculum prudentia, quo possunt rerum cernere causas, quas alii Juniores nondum possunt cernere aut intelligere.* Habent enim memoriam præteri- torum, & prudentiam futurorum, & intelligentiā præsen- tium, in quibus tribus oculi prudentum consistunt. Sed sufficiant hæc de prudentiæ causis ejusdemq; adminiculis.

XII. Comites prudentiæ tres recensentur à Philosopho 6 Eth. cap. 9. 10. & 11. 1. *εὐβουλία* s. bona Consultatio. 2. *σύνεσις* s. ingenii perspicacitas. 3. *γνώμη* s. sententia.

XIII. Est autem *εὐβουλία* (ut Philosophum sequamur) ni- hil aliud quam *rectitudo consultationis, per quam finem bonum honestis & convenientibus mediis in agendo consequi possumus.* Hanc Philos. 6. 9. sub finem cap. duplicem facit. *Universalem ἀπλῶς* quæ ad ultimum finem sive ipsum S. B. actionū hu- manarum consequendum media inquirat; Et *particularem* quæ speciatim ad hunc vel illum finem & bonum dirigit, quo pacto nimirum eruditionem, honores & divitias con- sequi possumus. Quomodo autem illa discernatur à scien- tia, à conjectatione bona, à mentis sagacitate, ab opinione, vide sis Arist. 6. Eth. cap. 9. 10. 11. *Σύνεσις* ingenii acumen & perspicacitas est Arist. 10. c. *Habitus s. facultas recte intelligen- dires Civiles, & ad humanam vitam & societatem Civilem uti- les atq; necessarias.* Habet hæc aliquam convenientiam cum prudentia ratione objecti, quia utraq; versatur circa τὰ *πρακτικά* de quibus consultandum & deliberandum est. Dif- ferunt autem inter sese κατὰ τὴν ἐνέργειαν ratione operatio- nis & efficaciam. Prudentia in deliberando & consultando quærit quid expediat, & cum invenerit, statuit præcipitque quid suscipi aut non suscipi debeat. Hæc autem Ingenii vis & acumen celeriter & promptè animadvertit, quæ pruden- tia decernit. Vocatur alias *εὐσυγεία* ut à versutia & callidi- tate distinguatur, quæ socia prudentiæ existimanda non est.

est. Γνώμη aliàs εὐγνώμοσύνη dicta s. æquitas & benignitas in
sentiendo & judicando de rebus propositis. Est viri equi &
boni de dictis & factis aliorum moderatum iudicium. Prudens e-
nim non facile iudicat, & cum iudicat, moderatè iudicat.
Consistit autem hujus officii ratio potissimum in duobus.
1. in benigna interpretatione eorum, quæ ab aliis & fiunt &
dicuntur. Et hæc proprie dicitur εὐγνώμοσύνη. 2. in Condo-
natione & venia eorum, quæ ab aliis per ignorantiam aut infir-
mitatem fuerint peccata. Recte itaq; dicit Arist. Omnes pru-
dentes esse εὐγνώμονας & συγνώμονικὰς id est, qui benigne de
aliis iudicant, aliorumq; infirmitatibus non difficulter ve-
niam largiuntur, quemadmodum etiam & nos cum pruden-
tem nominare solemus, qui in meliorem partem omnia in-
terpretatur.

XIV. Sequuntur nunc affectiones. Quarum Picolom.
Grad. V. c. 35. numerat tres: Circumspectionem, Vigilantiam &
cautionem, quæ tam genuina prudentiæ germina, ut ubicun-
que vera prudentia sedem fixit, nexu indissolubili hæc se-
cum trahat: Ubi autem alterum horum deest, prudentia
hiulca evadit. Nullum enim actum exsequitur prudentia,
nisi omnibus ante perpensis, quæ ad actionem istam perti-
nent. Semper circumspecta, vigilans & cauta est, utpote cu-
jus sit præterita corrigere, præsentia dirigere, & futura pro-
spicere. Hinc cum hæc omnia simul & semel in uno raro cõ-
currant subjecto, prudentia jure optimo, ut præclara, ita &
rara est inquit Picol. Et rectissime Boetius: *Doctos quidem
multos vidi, prudentes autem perpaucos novi.*

XV. Possunt etiã aliæ prudentiæ dari affectiones nempe 1.
immutabilitas, prudens enim semper idè est, nec mutatur quo-
ad naturã & virtutis actionẽ, quia semper vir bono audit, &
propterea etiam bona & benè omnia agit. Certe vir prudens
malis non premitur, sed utitur. Novit enim in adversis æ-
què ac in secundis virtutẽ suam explicare, quamcunq; for-
tè acceperit, aliquid in ea memorabile præstabit. Sic de Ca-
tone prædicatur, quod toties mutatã reip. facie, nemo ipsũ
viderit mutatum. Id quod etiã veræ prudentiæ proprium esse
B
asse-

asseverat prudentissimus *Seneca*, inquit. Si prudentiam amplecteris, semper idem eris, & prout rerū ac temporū varietas exigit, te accommodes, nec te in aliquibus mutes sed potius aptes, sicut manus, quæ eadē est, cum in palmā extenditur, & cum in pugnum contrahitur. 2. *Difficultas*, quo remotius objectum virtus habet, eo difficilior etiam censetur. Prudentia igitur virtutum difficillima erit, quia versatur circa res omnium singularissimas, magis quam ulla Virtus alia, easq; ferme infinitas, h. e., nullo certo numero definitas, quæ cum recedant ab universalibus ob multitudinem, varietatem & lubricitatem suam non facile possunt cognosci.

XVI. Progredimur nunc ad *Divisionem*, juxta quam prudentia constitui solet. 1. *propria* s. *privata*, quā quis suisq; rebus & commodis privatis recte consulit & prospicit, absq; respectu eorum, quibuscum vivit. Hanc *Phil 6. Eth. 8* nominat *Φρόνησιν περὶ αὐτὸν καὶ ἑαυτὸν* id est, prudentia circa se ipsū. 2. *Communis*, quā quis aliis quibuscum vivit & conversatur inservire ac prodesse studet. Atq; hæc differt ab illa tantum ratione & respectu. Nam illa respicit tantum suum & proprium commodum; Hæc autem aliorum, nempe totius familiæ aut reipubl. si familiæ, dicitur *Oeconomica*; si reip. *Politica*. Prior est quā quis familiæ suæ recte consulit & prospicit de bonis & utilibus. Posterior, quā quis reip. circumspecte consulit & prodest. Et est rursus duplex. 1. *Nomothetica* s. *legislatoria*, quæ leges rite condit & dextre explicat, sine quā ut. *Cic. 1. de leg. nec domus ulla, nec Civitas, nec Gens nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* 2. *Administrativa* & *politica* propriè dicta, quæ remp. jam constitutam secundum leges præscriptas recte administrat, Et ideo *Politica* appellatur, quod ejus actus & operationes sensibus magis exponantur conspicianturq; adeoq; distinctè consideret circumstantias temporis, loci & personarum, quare & *Practica* à nonnullis dicitur. Illam *Arist. 1. c.* nominat *ἀρχιτεκτονικὴν* principalem & gubernatricem: sicut enim *Architecti* est, verba sunt *Dn. D. Horn 1. IV. c. 3. n. 6. Aedes mente designare, & præscribere quid, quomodo in earum exstructione fieri debeat, fabri autem sedulo exsequi, quæ:*

que præscribit; ita is qui remp. ordinat, tam publica quam privata jura condit, ad quorum normam Politica deinceps eam gubernat. Hanc ob prudentiam præprimis laudatur Zaleucus Locrensiū legislator, quem Vide ap. Stobæum Sam. 44. Et ap. Ælia. l. 13. Var. hist. *Administrativa* s. propriè sic dicta Politica prudentia iterum duplex (1) *Senatoria* s. deliberativa, quæ consultat & deliberat de negotiis & rebus futuris, & sententiam in Senatu dicit, appellaturq; *Φρόνησις βαλευπική*, prudentia consultatoria. (2) *Judiciaria*, quæ actiones Civium judicat, quatenus scilicet legibus per Nomotheticam latis consentaneæ sunt vel non sunt, adeoq; vel præmiis vel pœnis dignæ. Cætera quæ ad utramq; hanc legem necessaria requirantur. Vid. ap. Heider. Phil. Mor. par. II. p. 213. ad. 217.

XVII. Tandem & *Opposita* Prudentiæ delibanda sunt paucis. quæ *i. in excessu*, ut malitia, quæ alias astutia s. vafrities nominatur. Quod vitij genus, nisi fallacia vires sumplerit, fidem propositi non invenit, laudemq; occulto magis tramite, quam aperta viâ petit. Hoc vitio admodum laboravit Jugurtha, quem cum Micipsa Rex, amisso Patre, sine spe, sine opibus, ut Salustius refert, in regnum suum accepisset, parem cum liberis regniq; participem fecisset potissimum stirpis suæ extinctor postmodum factus est, & sic per scelus crescere cepit. quod fusius Salust. in Bello Jugur. prosequitur. 2. *in defectu*, ut imprudentia, alio nomine stultitia, insania etiam quandoq; dicta, quâ temere & sine judicio nullis observatis circumstantiis in actionibus ruimur. Talis fuit Midas, qui pro voluntate petere jussus, petijt, ut omnia quæ tangeret in aurum mutarentur. Hoc stultum stulti fuisse votum, quis non videt? Et nisi stolido hoc suo voto exsolutus fuisset, fame & siti periisset.

Quæstio. I.

An prudentia sit præstantior Virtute Morali?

Nos affirmativam tenemus. Cum enim prudentia dicatur regula dux & moderatrix virtutum moralium, jure optimo sibi primum dignitatis locū assignare videtur. Quod nè gratis dixisse videamur, ex definitione virtutis moralis constare facile potest. Addimus quoq; autoritates Philo-

B 2

sopho-

sophorum, qui unanimi consensu reatricem ac directricem virtutum omnium, atq; actionum moralium prudentiam esse docent. Plato 3. de leg. Eam Duce[m] & principem omnis virtutis esse ait. Et in Menone solam præire & ducere ad recte agendum. A Pythagoræis nominata fuit oculus & mater omnium virtutum; ab aliis norma & regula. Hinc Lipsius l. 1. Civ. doct. 1. 8. *ut architectis opus nullum procedit, absq; libella & linea, quâ opus dirigatur; sic nobis in opere nostrarum actionum absq; norma hac directrice nempe prudentia.* Verum non desunt, qui primatum prudentiæ denegare conantur. Sed cum rationibus non adeo firmis nitantur, non est ut eorum opinioni calculum adjiciamus, aut in refutandâ hâc opinione immoremur prolixius.

Quæst. II.

An prudentia à Virtutibus Moralibus distincta Virtus sit?

In præcedente quæst: prudentiæ præstantiam vidimus, reliquum est, ut de ejusdem natura & distinctione loquamur. Non enim levis dubitatio est, inter tot dissentientium opiniones, quærere an Virtutes Morales sint ejusdem speciei cum prudentia, vel potius ab eadem distinguantur. Aristotichius, Zeno Citicus & Socrates affirmativam prioris tuebantur, unam virtutem esse asserentes, eamq; prudentiam nuncupantes: adeo ut fortitudinem definiant per prudentiam, justitiam per prudentiam, & sic consequenter. Plutar. in l. de Virt. Mor. Sed falsam esse & erroneam hanc opinionem docet Phil. 6. Eth. 13. Quod si enim omnes virtutes simpliciter prudentia essent, nec distinctæ ab eadem, hoc absurdum sequeretur, fore, ut omnes virtutes intellectuales dicerentur, cum prudentia sit talis virtus: Et per consequ. nulla daretur Virtus Moralis, quod minime verum censemus. Distinguuntur omnino ab illis & quidem specificè. (1) quidem *ratione subiecti*: Virtutes Morales principaliter insunt voluntati, & certo modo etiâ appetitui sensitivo; prudentia vero quamvis ad voluntatem dirigendam extendatur, habitus tamen intellectualis est, ipsiq; inhæret. 2. *ratione obiecti*: in quo quidem & Virtutes Morales & prudentia conveniunt, differunt tamen considerandi modo, cum aliter virtutes Morales, aliter

ter

ter prudentia circa illud versetur. 3. *Virtutis* moralis est ex-
petere & amplecti quæ honesta sunt; at nosse quid sit hone-
stū, quomodo & quādo, officiū est prudentiæ. E. c. fortitudi-
nis quidem est fortiter agere, hoc loco autem, hoc tempo-
re, hoc modo, & non alio fortiter agere prudentia docet.
Hæc se habet, ut regulans & dirigens, illa ut directa & in-
clinans. Non censendum tamen, propterea à virtutibus
Moralibus eam separatam esse. Tantum enim abest esse se-
paratam ut potius intime complicata sit, atq; copulata, cū
omnibus Virtutibus Moralibus, veluti communis omnium
anima & nexus. Illæ enim nec sine prudentia, nec hæc sine
illis unquam esse potest. Altera alterius opem poscit, ut
nec virtuti constet decus suum sine prudentia, nec pruden-
tiæ sine virtute. Quod ergo nobis monstrum prudentiæ fin-
gunt illi, qui extra Virtutis stadium & studium prudentiam
collocant? Quod si quis rectius penitusq; introspiciat, nō
nisi astutam vafritiem & versipellem fraudulentiam anim-
advertit. Manet igitur nec virtutes sine prudentia, nec
prudentiam sine illis perfecte consistere posse, utut ab in-
vicem distinctæ virtutes relinquuntur.

Quæst. III.

An Prudentia sibi cōsulens, vel quæ sibi sapit sola sit & vera prudentia?

Verā illā quidē esse, prudentiq; maxime convenientem,
nullus dubitat, cum homo nō tantū Deū & alios, sed se ipsū
amare debeat. *Illud semper memento* inquit Cic. ad Treban. l.
7. Ep. fam. *qui sibi ipsi sapiens esse nequit, nequaquam sapere.* So-
lam autem & verè unicam seu unicè veram prudentiam es-
se multi, & nos cum illis dubitamus. Sunt tamen nonnulli,
quos nimium sui ipsius amor vexat, qui hanc prudentiæ
speciem qua sibi consulere sciunt, suaq; tantum curare,
unam putant esse prudentiam; Eam autem quæ aliorum de
commodis est sollicita, bonumq; publicum magis spectat
πολυπραγμοσύνην appellantes. Quam in sententiam Philo-
ctetes ap. Eurip. queritur: se minus prudenter egisse, quod
in Exercitu Græcorum publicum sibi manus demandari
passus fuerit, cum reliquos inter milites in quiete licuisset
vivere. Sed falluntur ejusmodi & fallunt, nescientes sibi

solum non natos, sed ortus sui partem patriam sibi, partem parentes, partem amicos vindicare Cic. l. i. off. Et sane fit, ut propterea ejusmodi potius à communione prudentum excludamus, qui ignobile actionum suarum in rep. centrū statuunt privatū commodum. Quod carcinoma multos suo jam tempore corrupisse Philosophus alibi quæritur. Indigni profecto isthoc nomine, cum prudentia nos doceat recta & salutaria consilia invenire tum pro nobis ipsis, tum pro aliis. Moderate itaq; partiri discant inter amorem sui ipsius, & amorem reip. atq; sibi sint proximi, ut in alios non sint injurii, si secus illustre illud & augustum prudentis nomen mereri velint.

Quæst. IV.

Quomodo prudens in rebus ambiguis se gerere debeat?

Prudenti frequenter de rebus ambiguis consultare convenit: qualem autem se in rebus ambiguis gerere debeat, hic non immerito quæritur. Semper magis metuere in rebus dubiis quam sperare prudentem decet. Nō nescit enim tantillum etiam mali plus sibi nocere & obesse, quam magnum aliquod bonum prodesse. Hinc fit, ut semper plus metuat quam speret. Deinde metus acuit diligentiam, & ad sollicitudinem in procurandis eligendisq; mediis fortius incitamentum est; cum contra securitas & spes proclivior diligentiam minuatur, curamq; mediocriorem ad propositum finem ducentium abjicere faciat. Quod tamen non ita intelligendum volumus, ac semper meticulosus, & in perpetuo metu versari debeat Vir prudens, quod degeneris esset animi: sed ut anxie providus sit, media quærens ad ambiguum eventum profutura. Qui enim nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Novimus sanè illud Arminii apud Vellej. Patere. l. ii. *Neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem.* Prudentē ergo decet, dubiis rebus obviam ire, provida nimirum cautione. Fieri namq; potest ut, cum minime sibi cavet, nihilq; metuit, mala interea vires sumant, ipsūq; totum frangant. Serum est cavendi tempus in mediis malis. Proinde optimè de prudentibus tritū illud affirmare licebit: *Prudentes timendo omnia, nihil timent.* Quæst.

Quæst. V.

An celeritas magis quàm tarditas prudentem virum commendet?

Nos hic distinguendum esse censemus inter ipsam consultationem, & consilii executionem. Circa consultationem recte monet Seneca: *deliberandam esse diu, quicquid statucndum est semel. Deliberare utilia, mora est tutissima. Mora omnis odio est, sed facit sapientiam inquit idem.* Et Livio teste, *nihil magni discriminis consiliis tam inimicum, quam celeritas.* Unde præcipitata consilia plerumq; poenitentiam excipere, nemini dubium. Non juvat impræsentiarum plures adducere auctoritates. Nos propria prudentis indolè, quantum ea ex interna forma noscitur, contenti erimus. Prudens non ruit in actiones temerè, sed præmeditate easdem aggreditur, ac ut omnes circumstantias attendat, cura ipsi est maxima, imo actionem nullam exsequitur, nisi omnibus ante perpensis, quæ ad actionem istam pertinent, quod summâ festinatione fieri nequit. *Apage hoc monstrum?* Prudens præmeditate omnia agere debet, cujus non est dicere; non putaram. Non tamen simpliciter omnia consilia subita improbanda veniunt, In novo enim aut subito discrimine, ubi periculum in mora, ut ajunt, & tarditas maxime periculosa est, utiliter & necessario adhibenda censemus; ita tamen ut consilia capta, hoc est, ad trutinam rationis recte examinata præferantur iis, quæ rapta. *Leviore enim juxta Tullium sunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata & præparata inferuntur.* Executio autem consilii celerissima esse debet ex præcepto Arist. 6.19. *Celeriter deliberata peragenda sunt, seu, ubi consulueris maturè factò opus est, de sententia salutis; ne proposita semel & deliberata tarditate frigescant, sed strenue perficiantur.*

Quæst. VI.

An prudentia circa verum perpetuo insistat neq; unquam erret?

Prudentia cum supponat voluntatis rectitudinem, oportet ejus actum esse verum practicè. Et licet quam maxime tendat in objectum contingens, quod ut suapte natura in utraq; partem cadit, ita judicium intellectus fallere potest, nihilominus tamen actum veritati consentaneum prodit, si scilicet

licet recto appetitui adæquetur. Proinde distinguere hic
necessum habemus, inter prudentiam ipsam & prudentes.
Prudentia cum habitus sit, juxta veram & rectam rationem
agendi, & judicandi de iis, quæ ad vitam bene feliciterque,
peragendum pertinent, verum semper attendit, retinet &
tuetur; nec fieri potest, ut, quamdiu ordinem ad volun-
tatem rectam, à veritatis tramite aberret. Prudentes tamen
quia homines sunt, humani quid etiam patiuntur, tum in
ipsis præceptis, tum in eorundem ad actiones applicatione.
Non autem ex eo inferre licet, ipsam prudentiam aberrare,
sicut nec σοφάματα Philosophorum ipsi Philosophiæ
imputari debent.

Quæst. VII.

An prudentia cum fraude stare possit?

Nihil exinde prudentiæ decedere, si non nihil è fraudium
fære mero prudentiæ misceatur Lipsius olim censuit Lib.
IV, Polit. C. 13. O si solus ille. Verba Ejus hæc sunt: *Vinum,*
vinum esse non desinit, si aqua leviter temperatum: Nec prudentia,
si guttule in ea fraudis reperiuntur: semper intelligo, ut modice
& ad bonum finem. Nonne matres aut medici quoque, teneræ ætatis
ti fucum sepe faciunt? cur princeps non idem in plebeculam suam
aut vicinum aliquem Dynastam possit? Quid vero nos ad talia?
Salvâ illustris Viri & scriptoris autoritate, stamus à veritate.
Malum enim non nisi malum intendit, & bonum non
nisi à bono intenditur. Nec facienda mala sunt ut inde eveniant
bona, tritum habet axioma. Prudentia virtus est, at
virtus admisceri nequit vitiis. Fucum non fert, purpura
est: Colorem respuit, cœlestis naturæ est; & medium extremorum,
inter quæ ceu rosa fragrantissima inter aliû & cepas statuitur,
nullius tamen contractu inficitur. Absit ergo omnis dolus,
fraus omnis, nisi vox fraudis in bonam sumatur partem,
per quæ eam dolus, quem vocant, bonus, qui cautorum est,
quo fraudes malasque artes repellunt, intelligatur.

Quæst.

Quæst. VIII.

An prudentia senum propria sit, nec in Juvenibus reperiatur?

Prudentiam ut plurimum maturas & longa experientia exercitas mentes, quales senum sunt, inhabitare, passim testantur scriptores, unde Bion Borysth. *Prudentia valent senes. Non enim viribus, inquit Cic. de Senect. aut Velocitate res magna geruntur, sed consilio & autoritate & sententia: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet.* Hoc ipsum probè ponderantes Lacedæmonii, nullos creabant magistratus, nisi provecta ætate jam maturos, quos proinde γέροντας id è senes appellabant, curiam autem γερουσία i. e. confessum seniorum dicebant. Et tria præprimis nos movent, cur majorem senioribus prudentiam concedamus .1. *Natura*: Naturam enim senus inspicimus, melioris sint temperamenti; cum fervor ille sanguinis jam contemperatus sit, minusq; sint obnoxii perturbationibus, quarum requiete & compositione anima dicitur fieri sapiens & prudens. Eleganter hanc in rem scripsit Verulam. Cap. XL. de Juvent. & Senect. *Ingenia præfervida, & quæ cupiditatibus violentis ac perturbationibus huc illuc impelluntur, non secus ac tigillum fluminibus innatans, non matura sunt ad prudenter res gerendas, donec meridiem ætatis suæ attigerint.* Ut videre est in Julio Cæsare, & Septimio Severo. De quorum posteriore dictum est: *Juventutem egit erroribus, imo furoribus plenam. Qui tamen in serie Imperatorum universa fuit propemodum celeberrimus* 2. *Institutio* quæ in senibus confirmata jam est & adulta. 3. *Usus seu experientia*, qui habitum firmat & absolvit Longo enim prudentia surgit ab usu; canit Mantuanus. Et quoniam hoc maxime est proprium & proximum principium habitus prudentiæ; ideo jure Seniores prudentiores esse colligimus. Interim tamen tam comis est prudentia, ut ad juvenes quoq; divertat, ipsorumq; contubernio gaudeat. *Juvenis annis poterit esse senex toris, si temporis jacturam non fecerit,* inquit Verul. In priorum censu fuit olim Juvenis Scipio Minor, de quo Catonem Seniore in castris ad Carthaginem pro-

pro.

pronunciaſſe apud Homer. ita legimus: *ille ſapit ſolus, reli-
qui volitant velut umbra.* Et Pompejus, cui nondum 24. annos
nato magna commiſſa fuere imperia, magnaq; ab eo bella
feliciter conſecta. Et hoc eſt quod Poeta canit:

*Canefcant alii mento, nos mente: capillo,
Nos animo: Vultu, nos peſtore. Tempora quippe
Virtutem non prima negant, non ultima donant.*

Et hæc Exertii gratia de principe virtutum prudentia
dixiſſe ſufficiat.

Soli DEO Trinuni gloria ſeculis nunquam
terminandis.



Coll. diſſ. P. 37, miſc. 45